M. SIMONIS HALICI
S. Th. Bacc: ac Professoris,

ORATIO

Post disputatam de Iustificatione Quæstionem,

HABITA EX MORE,

Jn Concione Academica,
ad Ædem S. FLORIANI,
Pro Feriis Exaltationis S. Crucis,
Die 19. Septemb. Anno D. 1619.

NVNC

Vt esset iuris & vsus publici, eruta è tenebris,
Operâ & studio

M. JOANNIS CYNERSKI
RACHTAMOVII,
S. Th. Sentent. Can: Cracouieñ. & ad Sanctorum Omnium Præpositi,

Fasciam de Charitate ad disputandum proponentis,
Anno Domini, 1653.

CRAC. Apud Viduam & Heredes Francisci Cæsarij, S.R.M. Typ.

D. Bernardus,

Feria Quarta hebdomadæ pœnosæ.

M*Irabilis Passio tua Domine IESV, quæ passiones omnium nostrum propulsauit! propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli vnquam petitioni nostræ inuenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte soluetur?*

Et infra: *Propter nimiam quidem charitatem suam, quâ dilexit nos Deus, vt seruum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi filius ipse pepercit. Verè nimiam charitatem, quia & mensuram excedit, modum superat, planè supereminens vniuersis.* Maiorem (*inquit* Ioannes *cap: 15.*) charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. *Tu maiorem habuisti Domino, ponens eam etiam pro inimicis! Cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam, & tibi reconciliati sumus, & Patri. Quæ nam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitati? vix pro iusto quis moritur, tu pro impijs passus es, moriens propter delicta nostra; qui venisti iustificare gratis peccatores; seruos facere fratres, captiuos cohæredes, exules Reges.*

ORATIO.

SI quis veſtrûm expectat Auditores, quodnam dicendi argumentum meæ ſim Orationi daturus, conſideret ipſe ſecum diligenter, quid præſens temporis conditio, quid locus iſte ſacer, quid frequentiſsimus doctiſsimorum hominum conuentus à me exigat: non dubitabit credo, quid me dicere conueniat, cùm quæ mihi perſona ſit impoſita, & in quibus rerum aſperitatibus verſemur, cogitauerit. Glorioſum Crucis triumphum paucis ante diebus egimus, eiuſdem celebritatis illuſtres ferias, continentiæ libamine, peccatorum deteſtatio-te, gratiarum recordatione honoraturi in locum hunc conuenimus. Doctrina hæc eſt Eccleſiæ, authoritas Patrum, mos naſcenti adhuc Academiæ commendatus, vt Domino per pœnitentiam conciliati, ſingulis quatuor anni temporibus, pro ſingularibus in nos & in Regnum vniuerſum beneficijs, ſingulares gratias referremus. Adſumus igitur iuſtiſsimum deuotionis noſtræ ſoluturi debitum: vtinam cum mente pura & ſancta, ſi fortè illuminet vultum ſuum ſuper nos, & faciat miſericordiam cum ſeruis ſuis miſericors & miſerator Dominus. At vereor, vt ſignaculum ſimilitudinis ſuæ in nobis agnoſcat; lumen ſanctiſsimi vultus ipſius, ſcelerum fœditate deformauimus: multa in Deum, multa in homines, multa in noſmetipſos impiè ac nefariè commiſimus: quorum omnium ſingularem à nobis pœnam immanis atque importuna barbarorum crudelitas expoſcit. Terret nos Maieſtatis diuinæ contemptus, minatur periculum domus Dei irreuerentia, ad ſuppli-

cium vocat nos ambitio, cupiditas, iunocentum ſanguis, ebrietas, immundicitia, & mille alijs furijs atque terriculamentis iuſtiſsimo Dei iudicio animi noſtri excruciantur. Eſt in foribus Regni alter Attila, Tamerlanes alter, qui nobis Patriæque noſtræ chariſsimæ incendium, gladium, populationem, ſeruitutem, mortem denique ignominioſiſsimam inſolenter oſtentat. Sub nubibus adhuc eſt inclyta Germania, natat in ſanguine Catholicorum (væ nimium nobis vicina) Vngaria. Quid igitur inter tot tantoſque malorum incurſus agemus? Clamabimus fortè in cælum? at Ethnicorum legiſlator ait: Soli innocentiæ patere aurem Dei. An verò iterum ad Crucem Chriſti, vt liberaliſsimum miſericordiæ ſymbolum confugiemus? hoc alterum factu optimum: cum cruce enim nobis præuaricatoribus venerunt omnia bona, peccatum exſtinctum, infernus ſpoliatus, reſurrectio donata, paradiſus apertus, hæreditas filiorũ Dei conceſſa, per hanc ex vetuſtate peccati in nouitatem innocentiæ tranſiuimus. Cæterum, hoc certiſsimum noſtræ ſalutis aſyllum penitus ex oculis noſtris ſublatum eſt, ad noſtra quotidie ſeu vtilia, ſeu iucunda vacamus, quæ ſunt Ieſu Chriſti non cogitamus: Crucem vt grauiſsimum malum omnes exhorreſcimus, conculcamus alij, ſepelimus alij, latronum crucibus permiſcemus alij. Quod cùm certiſsimam nobis, Regnoque huic florentiſsimo portendat perniciem, ne fortè in nos effundamus indignationem Domini, Crucem ego quærendam inprimis & exaltandam eſſe cenſerem. Modum querimus? Patres S. diuino Spiritu locuti nobis eum ſuggerent. Quoniam verò de Cruce optimè dicitur, cum cruce, petamus à Domino labori noſtro ſucceſſum per ſolennem Eccleſiæ Antiphonam. *Per ſignum Crucis, &c.*

Video in ipſo orationis meæ initio, multorum ora atque oculos à me auerti, quoſdam concidere animis, quòd præter expectationem omnium, eam mihi ad dicendum materiam ſumpſerim, quæ licet ſit myſterij magnitudine præclara, vſu tamen & tractatione frequenti valdè popularis. Crucis enim inquiſitio quorſum proponitur, ſi hæc eſt rerum humanarum neceſsitas, vt ne momento quidem ſine aliquo inſigni animi vel corporis cruciatu viuatur. Vita noſtra quid eſt aliud, niſi ærumnarum & dolorum perpetua quædam arena? Ipſi neceſsitati corporis continuò

continuò seruire, magna est molestiarum acerbitas. Frigemus? vestimenta sollicitè quæruntur; famescimus? arte, insidijs, labore cibi veniunt; in æstum incidimus? vmbras & frigus desideramus. Vt valetudinē serues integram, aut attritam sarcias, vel denique amissam recuperes sumptu, cautione, moderatione, dolore, periculo opus est; his nihilominus superatis, morti cedendum est. Quantis emitur sudoribus alicuius disciplinæ cognitio? & tamen ægrè in aliquo claritatis gradu constiteris, ei qui sequitur cedere debes, opinio tua tecum est, laus est aliorum. Ascripsit nos in aliquem virorum cætum seu indigentiæ metus, seu iucunditatis aut dignitatis spes, quot sunt cum quibus viuitur, tot qottidianæ cruces: ferendis enim aliorum infirmitatibus constituitur vitæ societas! Quibus cor ad redamandum aperimus, hi plerumq; illud exulcerant; à quorum coniunctione nos seiungimus, illorum vincimur beneuolentiâ. Obliuisci supernæ illius patriæ, delectari hoc terreno exilio, sufferre labores, exorbere difficultates, pati indignitatem, pati interni luminis priuationem, idq; ob auri idolum, ob ventris religionem, ob honoris simulachrum, tormenta sunt grauissima. Quid dicam in hac infælici cæcitate cupere, si fieri posset æternitatē? Non iam commemoro publica funera, clades, inundationes, ciuilium dissensionum fluctus, hostium incursiones, populationes, vexationes, & illorum fortunam miserè splendidam, qui portant orbem? qui ibi gemitus? quæ suspiria? quæ lamenta non regnant ex regnis. Et quærendam esse dicimus crucem, quæ vbique præstò est? Ita procul dubio: quæ enim quotidiè ferenda veniunt, imaginem crucis multa referunt, admodum pauca veram crucem. Scilicet vt lapsi de cælo ignes, aut accensæ in aëre faces, stellarum fulgorem persæpe mentiuntur: sic istorum quæ nos in vita exagitant vel percellunt, sæpe numero decipimur imaginibus. Ferrē iniuriam, opes contemnere, honorem non mirari, si maius lumen desit, Ethnicorum sunt bracteata monilia, nobis detrimenta. Quid? an non Antistenes potuit vultu cõstanti ferre oris à quodam petulantiori homine contusionem? potuit. Heraclitus non regales diuitias spontè proiecit? proiecit. Plato etiam à ciuili splendore in Academiā fugit, bibit innocentia Socratis cicutam, ascendit in rogum animosus Hercules, desiluit in Euripum Aristoteles: Sed cur?

vt sciret posteritas. Flammula quædam gloriolæ in leuitate animi falsum ignem accenderat, qui euanuit mox cum sua mobilitate. Qui sequuntur Deum non ambulant in his tenebris, sed quærunt lumen vitæ, ad dirigendos pedes suos in viam pacis. Proferes ergo fortè Iobum vel Tobiam, aliosque Dei amicissimos, quorum nomen viuit à generatione in generationem, qui orbitates, exilia, ægritudines, inimicorum imperia, & quicquid in vita potest aduersitatis accidere, æquissimo tulerunt animo. Percutitur enim Iobus, ecce canticum nouum occinit: *Sit nomen Domini benedictum.* Eripitur aspectus Tobiæ viro ab infantia in oculis Domini integerrimo, audite quid dicat: *Iustus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ misericordia & veritas.* Sunt fateor splendidioris animi argumenta, agnoscere humiliter, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers rationis esse, relinquere arbitrium ei qui nobis omnia dedit, lucri loco habere, quod multò ante non accepit: ea tamen cum Christianorum cruce comparata magnam patiuntur obscuritatem. Multò enim splendidior est Christi Crux, quæ sola rectè dicitur norma & regula laudabilium actionum, caput & origo beatitudinis nostræ, libertas & corona nostra. Habet enim secum virtutem & sapientiam, non virium humanarum magnitudine, aut cogitationum sublimitate, non copiarum splendore, aut verborum magnificentiâ superba, sed potentia infirmitatis, altitudine stultitiæ, diuite paupertate, verbi abbreuiatione nimiùm absconditam ante sæcula à Deo gloriam. Sapienter ea de re Magnus Leo Pontifex Romanus: *Exaltatus*, inquit, *Christus Iesus in ligno, retorsit mortem in mortis autorem, & omnes Principatus aduersasque virtutes per obiectionem passibilis carnis elusit, admittens in se antiqui hostis audaciam, qui in obnoxiam sibi sæuiendo naturam, etiam ibi exactor ausus est esse debiti, vbi nullum potuit inuenire vestigium peccati.* Euacuatum est igitur generale venditionis nostræ & lethale chirographum, & captiuitatis pactum in ius transijt Redemptoris. Claui illi, qui manus Domini pedesque transfoderunt, perpetuis diabolum fixêre vulneribus, & sæuientium pæna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum, sic suam Christo consummante victoriam, vt in ipso & cum ipso omnes qui crederent triumpharent. Quid horum

rum simile omnes in vnum congestæ cruces habuerunt? si per hanc vnam vitæ nostræ reparatio facta est, per quam non quod non erat factum est, sed quod perierat renouatum est. Opus hoc diuinæ sapientiæ fuit excellentissimum, in manu forti & brachio excelso, quando è crudelissima spiritualis Ægypti seruitute, infinita iustorum educebatur multitudo. Non enim vnius sæculi præstantes viri in opimis spolijs gloriosi triumphatoris numerabantur, sed omnes à primo Abele vsq; ad vltimum fidelis Abrahæ semen: siquidem eiusdem est fidei, eiusdem spei ædificium, quicquid per mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, vel nos confitemur factum, vel Patres nostri credidêre faciendum. Quis verò crederet altitudinis diuitiarum sapientiæ & sciētiæ Dei, crucem fuisse in monte Caluariæ erectam, per quam & ad felicitatē rediremus, & multò illustriora quàm sperare potuimus, bona caperemus. Istud tamen in cruce peractum est, quando propositus ab æterno propitiator sanguine suo Deo Patri satisfaciens, omnes inter hominem & Deum sustulit inimicitias, paci cælum & terram restituendo. Quod mysterium ignorant illi, qui in Christū Baptizati, Christum in regeneratione sua induentes, ijs quibus renuntiauerūt, non sine grauissimo perfidiæ scelere adhærent sacrilegi. Quid enim Christiani nomen vsurpamus, & Christi carnem innobis nec cognoscimus, nec veneramur? *Qui Christi sunt crucifixerunt carnem cum omnibus concupiscentijs suis, complantati similitudini mortis illius*, vt destructo semel corpore peccati, ampliùs non peccato, sed Christo viuerent. Quid est Christo viuere? crucem seu mortificationem Christi in corpore nostro circumferre, vt vita illius manifestetur, in operibus nostris. Hæc autem est expressio vitæ ipsius, si mandata Domini cum integritate fidei obseruamus, veri Abrahæ filij effecti, concoporati & congenerati Domino nostro, vt membra capiti. Natura enim humana in tanto vnionis nexu, à Filio Dei suscepta est, vt non solùm in illo homine, qui est primo genitus totius creaturæ, sed etiam in omnibus Sanctis suis, vnus idemque sit Christus: & sicut à membris caput, ita à capite membra diuidi non possunt. Huius arctissimæ coniunctionis & beneuolentiæ, crux est symbolum certissimum. Quod si conformamur huic sæculo, si tollentes membra Christi facimus

mus ea mēbra meretricis, seu peccati, si à suauissimo iugo Domini transfugimus ad crudelem diaboli seruitutem, crucem amisimus, vitam amisimus, in veterem Adam recidimus. Et mirùm, quòd inter tot asperitates, miserias, ærumnas concludamur? imò mirandum magis, quòd in tantis positi malis, vix aliquid nobis mali imminere sentiamus. Nemo est qui cum regio vate clamet; *Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum. Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Omnes declinauimus, omnes inutiles facti sumus, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Omnes nihilominus nos iustos, laudatos, sine suspicione aut reprehensione esse existimamus. Qui certè insignis est error noster: nam quotumquemq; reperies, cui nihil virtutis adijci, aut vitij auferri oporteat, cum & aduersa noceant, & secunda corrumpant, nec minus sit periculi carere desideratis, quàm abundare concessis. Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis: illæ enim eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelã. Propensa in luxuriam sanitas, molestissima iufirmitas, nec licet quenquam sine suspecta iucunditate viuere, quia non licet purum esse quenquam, propter rerum sine quibus vita non ducitur impuritatem. Illud verò quanti laboris est, mobilitatem cordis à peccato continere, & cùm vndique innumeræ voluptatum illecebræ blandiantur, ad nulla contagia vigorem laxare. Huiusmodi rerum varietas, in humanis actionibus sæpè crucem Christi, è manibus homini quantumuis cauto eripit. Fælix qui elapsam toties quærit, atque inuentam tollit, & sequitur Christum. Saluator enim noster Dei Filius, vniuersis in se credentibus, & Sacramentum condidit, & exemplum, vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. Iustus enim Christi ex fide incrementum, ab exemplo vitæ donatoris fidei perfectionem accipit iustitiæ. At fortè molliùs quispiam educatus obstrepit: Seueriorem istam vitæ institutionem ad exemplum Christi, consilij potiùs esse, quàm Præcepti, hominibusque ad Apostolicam perfectionem contendentibus, non cuiuis passim Christiano familiarem esse debere. Falleris multùm, delicatule: sicut enim nemo est credentium, cui dona negentur gratiæ, ita nemo est, qui non sit Christianæ debitor disclplinæ; quia etsi remota est iustitiæ asperi-

aſperitas, voluntariæ tamen obſeruantiæ creuit vtilitas. Non religioſis tantùm, ſed omnibus nobis dicitur: *Si quis vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Quæro ego. An cupiamus venire poſt Chriſtum? nemo arbitror erit ita omni ratione deſtitutus, qui nolit ibi eſſe, vbi eſt omne bonũ, vbi torrens voluptaris fluit perennis, vbi illarum deliciarum ſecura & perpetua eſt fruitio, quas nec oculus videre, nec auris audire, nec cor hominis comprehendere poteſt. Subijcio modum veniendi: *Abnega temetipſum. tolle crucem tuam.* Subolfacio multis ſermonem iſtum eſſe durum, multi verba Domini vel non percipimus, vel ſurda aure accipimus. Philoſophi eiuſdem de eodem prædicationem arctiſsimam & primã eſſe dicunt, neque quicquam opponi magis èi quod eſt, quàm negationem eius quod eſt, contendunt. Medici aiunt ſibi dictum eſſe à Chriſto: *cura teipſum*, non nega te ipſum. Iuriſperitorum omnis labor eſt de *Meo* & *Tuo*, de poſſeſionibus, corporibus, honoribus perpetuò dimicare, de ijs quæ intra ſunt vix aliquando cogitant. Abnegationem illi mortem appellant ciuilem, ideò veluti turpitudinem fugiendam eſſe cenſent, cumque de omni iure humano ac diuino reſpondere ſint paratiſsimi, hoc ſæpiùs integrum nobis relinquunt Theologis. Cæterùm & nos affluere, cognoſci, celebrari, vel propter Eccleſiaſticæ dignitatis authoritatem, vel propter aduerſariorum potentiam plerumque cupimus. Quod ſi horum nihil eſt, non video, cur effectum affectu, veritatem quæſitis coloribus obducamus. Nos igitur duces aliorum qui ſumus, trepidamus aut cæcutimus? & miramur alios tergiuerſari, qui nec quid ſit ſequi Chriſtum, aut tollere crucem, cogitant, aut conſiderant. Itanè dubitamus, cur Dominus noſter propoſito ſibi gaudio in ſplendoribus ſanctorum ante Luciferum & ante ſæcula genitus deſcendit de cælo, pauperiem, labores, contumelias, crucis denique ignominioſiſsimam mortem ſuſtinuit? An vero vt crucem fugeremus? imò vt voluntariè crucem quæreremus: cùm enim ſit ille via, per quam ad veritatem, inde ad vitam veniamus, oportet nos eandem quam ille triuit orbitam terere. Quæſiuit ille crucem per annos triginta tres ac ampliùs, cur nos exoſam habeamus? quærunt homicidæ, idololatræ, luxurioſi, auari, querit omnis improbitas crucem:

 quid

quid enim magis excruciat, vt molestissima vitiorum seruitus? cur nos iugum Christi suaue, & onus illius leue, à capite & ceruicibus nostris propulsamus, & ad indulgendum carni adeò flectimur? Quid nobis venter reddat, qui tot regales mensas consumpsit, tot veteris falerni dolia exhausit? dolorem & corruptionem. Quid inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid auaritia? curam & solicitudiuem. Quid intemperantia? gehennam & mille morbos, & hoc nobis vltrò accersimus? Crucem Domini quæ nos à tot tyrannis liberat, & in statu vitæ felicissimo ponit, repudiamus? Respondet quispiam, cuique nostrûm in Ecclesia Christi, Crucē esse impositam, est sub quo ingemiscamus: si enim nondum crucem portamus, nondum cæpimus esse Christiani, symbola nostræ professionis qua distinguimur á gentibus, crux est. Non eo inficias: à vita enim nostra ne momento qùidem abest tribulatio: sed vereor ne simus illis similes, qui cùm cornua gerant, cornua quærunt. Amamus hanc vitam, profectò nescimus crucem esse in humeris nostris: qui enim nescit se hîc peregrinum esse, non sentit crucem, neque anxius de patria, suscipit cogitationes aut sermones de paterna domo. Assentior ita esse, cuique nostrûm crucem imponi, vt compatientes conglorificemur, sed nos in luctu risum, in labore otium, in palæstra quietem quærimus, nescientes vitam hominis militiam esse super terram. Norunt omnes qui piè viuere volunt sociam esse perpetuam vitæ Christianæ crucem, & nos si sapere nobis videmur, nosse omninò debemus. Postquam enim nobis imposita est persona hominis Academici, cum præstantia multorum aliorum, postquā iuuentus regni huius florentissimi concredita, vt studio, fide, labore, diligentiâ nostrâ, maiora in dies incrementa & ornamenta pariat suæ Reipublicæ, credite mihi, grauissima est ista crux. Videre licet toties cum ipso onere claudicare alios, incuruari alios, in ipsis initiis cadunt multi, in medio ætatis flore quærunt valetudinem plurimi. *Ferreus sis aut æneus, si bonum commune tibi est cordi, si locum & personam tuam cogitas, si officij Academici rationem expendis, frangas citius vires quàm vocationi respondeas necesse est.* An tibi parua cōtentio videtur, ad summum virtutis & sapientiæ culmen niti, vt ex eo dissipes aliorum tenebras, errorem corrigas, præclaro vitæ

vitæ instituto in admirationem tui rapias. Multo hic pallore, multo sudore, multis vigiliis, multis mortibus opus est. Magna est ô Academici nostra crux, si nobis, si opinioni hominum, si voluntati diuinæ satisfacere, si in vltima die iustissimã mercedem à magno Patrefamilias repetere cogitamus. Quò magis miror, quòd plerique eam non videamus, vel aliam quàm quæ imposita est arbitramur esse. Vertamus nos aliquando in nos, & diligentiùs intueamur, nostram ne an Christi crucem feramus: potest enim nostra esse, si dignas factis pœnas accipimus, potest & Christi esse, si ad certamen patientiæ obiectis tentationum procellis, si ad laboris præmium inuitamur. Equidem si Christianæ obseruantiæ limitem excessimus, si in officijs publicis non honorem Dei, non iuuentutis commoda, sed nostras sordes quæritamus, sublatam esse crucẽ á nobis doleamus. Onus enim Babylonis, onus Ægypti ferimus, seruitutem seruimus durissimam, neque probrum cogitari potest grauius, cùm Academici generis & seminis propria sit virtus, ex dignitate vitæ quærere gloriam. Habes & tu iuuentus Academica crucem, reuerentem legum obedientiam, studiosã præceptorũ reuerentiã, iucundã studiorũ asperitatẽ. Hanc si excutis, non est, quòd tibi tuisq; aliquid illustre aut splendidũ in futurũ promittas. Tuum est, motũ noxiæ voluntatis quæsito crucis ligno affigere, atq; cum Propheta identidẽ clamare: *Confige clauis timoris tui Domine carnes meas, vt à iudicijs tuis timeam.* Scire vis quid sit clauis timoris Dei, carnes cõfixas habere? *Est* inquit Gregorius, *corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderii, sub metu diuini continere iudicij, resistere peccato, & concupiscentiam omnem ne quid morte dignum opereris interficere.* Est enim quasi vitulus quidam, & is valdè insolens, caro nostra, quam Deo munus acceptabile offerimus, si castã seruamus, si ad ostium tabernaculi, id est, ad diuinorum librorum auditionem consuefacimus, si continentiæ fræno & disciplinæ seueritate iugulamus. Facimus hoc? est testamentum Domini super carnem nostram in pactum sempiternum, in militiam Christi adscripti sumus, crucis insigne gestamus, membra quæ olim seruierunt iniustitiæ, impudicitiæ, ad iniquitatem & immunditiam, vt seruiant iustitiæ, puritati, ad sanctificationem efficimus. Quod si de die in diem viuere, iucun-

ditates captare, ventri, lateri, ostentationi, & similibus nugis seruire cæperimus, crucem penitus amisimus. Qui enim exuto veteri homine, non configuratur corpori claritatis Christi, fidelis non est crucifixo. nam vt fidei plenitudo non in cæcorum illuminatione, mortuorum suscitatione, aut prædicatione, sed in Christi cruce, obitu, & sepulturâ eluxit, sic ipsa crucis efficacia in crucis imitatione splendet. Hæc est inquit Ambrosius, fidei gloria, si verè intelligas crucem Christi, aliæ cruces nihil mihi prosunt, sola Christi crux vtilis est, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si mihi mundus crucifixus est, scio quia mortuus est, non diligo eum: scio quia præterijt non concupisco eum: scio quia corruptela est, quasi fætidum vito, quasi luem caueo, quasi moriturum relinquo. Itaq; si gloriæ ducimus in mēbris esse Christi, crucē quæram⁹ si non habem⁹: habemus? veluti excellenti bono gaudeamus. Trahūt alios pictæ atq; momentaneæ voluptates, nobis vna sit cura crucis; hîc studia cogitationum nostrarum figamus, in hoc volumine sit lectio perpetua, ex eo nostræ meditationes atq; discurs⁹ sumant materiā, hæc officiorū, actionū, totiusque vitæ nostræ sit mensura, hîc amoris nostri pōdus cōnquiescat, hîc splēdeat omnis dignitas. Iactent Platones Idearum figmenta, prædicet Stoa elumbem virtutis potentiam, extendat Peripateticus caducæ felicitatis pomeria caduca, placeant sibi honoribus Politici, quærat vulgus diuitias; nobis vnum sit studium quærendæ crucis Christi. Non timeamus iacturam alicuius commodi, non indignitatem aut vitæ periculum; meminerimus Dominum paupertate suscepta diuitias non amisisse, gloriam humilitate non minuisse, non æternitatem morte perdidisse, imò maximas diuitias, summam collegisse gloriam. Vita nostra est in cruce, quid periculum metuimus? altare agni tollentis peccata est, quid furorem indignationis diuinæ perhorrescimus? signum est salutis, cur desperamus? purgatio, sanctificatio, gloria nostra est, cur in eius amplexum non ruimus? O diuinum crucis Sacramentum, in quo hæret infirmitas, virtus libera est, affiguntur vitia, eriguntur trophæa. Quis dederit, vt in te omnis mens, omnis affectus noster demergatur: qui enim in te requiescit, non patet insidiis inimicorum, sed in iucundissima protectione illius commoratur: qui in te

pependit, protector, ac liberator noster, optimus maximus. In hac olim securitate commorabantur sanctissimæ Christianorum primitiæ, quas non fames, non nuditas, non periculum, non gladius, non vlla persecutorum tempestas potuit diuellere à crucis complexu: tantùm enim abest, vt in mærorem conciderent sæuientium tyrannorum machinis, vt eo ipso gauderent & gloriarentur plurimùm. Fuit hoc sanè spectaculum maximum, cum terrarum orbis videret, ad illud studiis & affectibus ardentissimis celebrandum atq; exaltandum certatim properari, in quo nihil cernebatur præter scandalum, & stultitiam. Dux & antesignanus eius stuporis fuit Paulus, qui cùm videret quasi niuis cumulos, quotidiè nouas sibi accidere tentationes, ex odio, & insidiis persecutorum, ratus se in medio deliciarum Paradisi esse constitutum exclamat: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione.* Gaudium existimauit vincula, rotas, aculeos, quia istis dolorum acerbitatibus sciebat successuram iucunditatem, nullo temporum spatio terminandam. Quippe vt miles in acie, præclara suæ fortitudinis edens facinora, in mediis mortibus & vulneribus mirificè lætatur, quòd hæc sit pulcherrima & certissima suæ gloriæ materies; sic Christianorum animi magnorum ducum propositis exemplis, ex ipso calamitatum conflictu illustriorem sperantes victoriam, in maiorem assurgebant lætitiam: atque Domino suo humiles gratias referentes, ipsa tribulatione, vt amplissimo suæ gloriæ pabulo nutriebantur. Hanc virtutis generositatem, cùm iniquissimis oculis aspiceret, turpissimus ille Christi desertor Iulianus, ausus est pro consuetâ insolentia & temeritate, magnarum virtutum splendoribus opponere inanes fucos patientiæ, humilitatis, & fortitudinis veterum Philosophorum. Sed infracti animi Episcopus Gregorius Nanzianzenus, proferens ex peculio Ecclesiæ purpuratam Christi gratiis virtutis excellentiam, his verbis immanem illam imposturam in ruborem adducit. *Videsnè hos pauperes, & laris expertes, carne ferè & sanguine destitutos, & ideo proximos Deo. Vides hos illotis pedibus, humi cubantes: hos humiles & super infera: hos inter homines & super humana: hos vinculis constrictos, & liberos: retentos, & retineri nescios, quorum nihil in in mundo, & omnia quæ supra mundum sunt.*

Viuunt hi in morte vitam immortalem: & soluti à carne cum supremo spiritu vnum sunt, contempti à mundo in Dei amicitiam transierunt: quorum rupes, & quorum cæli: quorum sunt abissi, & quorum throni: quorum nuditas, & quorum incorruptibilitas indumentum: quorum solitudo & quorum sæculi alterius celebritas: qui voluptates contempserunt, & tamen verissimis perpetuò fruuntur: qui semper ascendunt, & ascensionis suæ modum non norunt. Hoc erat illud genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, qui crucem Domini super aërem, super omnes cælos exaltabant: & nos multùm degeneres, quamuis ab eadem stirpe nati, vix trementi manu illam retinemus. Quid si procella persecutoris ingruerit? quid si ferrum, ignis, exilium, proposita fuerint. Quid si hæresis? si Machometes gladium in ceruices nostras strinxerit? cogitamus quo animi robore simus futuri, repentè à deliciis, à commoditatibus, ab opibus, ab honoribus abrepti. Sed non sit à persecutore periculum, non timeamus quæ vicini nostri patiuntur: multa occurrunt in quibus exaltare possumus crucem Christi. Stemus aduersus gloriam, contemnamus falsam de nobis opinionem, superbiam conculcemus, iram comprimamus, concupiscentiam extirpemus, denique vocatione nostra in qua nos Deus posuit nomen Domini sanctificemus. Proferamus illam animi excelsitatem, dicentes cum Apostolo: *Magnificetur Dominus in corpore meo, siue per vitã, siue per mortem, quia anima mea illi viuet, illi viuit, illi morietur, illi me debere agnosco quicquid in me cognosco.* Atq; hæc est altissima crucis exaltatio in mediis tribulationibus, cum gratiarum actione gloriari. An verò non est (inquit Bernardus) cur glorieris in tribulationibus, si ex spe certissima venit gloria. *Cum ipso sum* (inquit Dominus) *in tribulatione, sperauit in me, eripiam eum & glorificabo eum.* Quid optatius potuit contingere tribulatione, quæ exercet ad retinendum amorem Domini, probat ad illustrandam fortitudinem viri? Adhuc nè in aduersis Ethnicorum more, querelas instituemus? nobiscum est qui erigit lapsos, soluit compeditos, diligit iustos, cur non potiùs conuertimur ad Dominum, & incipimus aliquando soliciti esse de animabus nostris? memores vitam hanc pænitentiæ esse, non præmiorum: cur non ferimus crucem cum gaudio & exultatione?

one? ſcientes illorum tantùm eſſe fructus, coronas, præmia, quorum labores, curricula, certamina fuerunt. Eſt in manibus noſtris ex hæreſi, eſt ex barbarie infidelium victoria, quia apud Patrem cæleſtem habemus aduocatum noſtrum, Ieſum Chriſtum, qui voluntatem timentium ſe conſueuit facere. *Ille ipſe apprehendet arma & ſcutum, adiutor fortis, & diſperdet inimicos noſtros, ſaluabit nos in dextera & brachio Sancto ſuo.* Quid tum? etſi fecerit quod eſt bonum in oculis ſuis, ſiue ponat in cruce, ſiue ſub cruce, Dominus eſt; exaltare nomen eius nihilominus debemus. Hæ enim ſunt primitiæ gloriæ, in quibus fruct9 vitæ futuræ vt in ſemine continetur. Noſtra verò Academici ex cruce gloria certiſsima, ſi quantum potuerimus, in ea exaltanda laborauerimus. Ocium non ſperemus, nec ſpectemus: niſi enim omnes ingenij, induſtriæ ac diligentiæ neruos intendimus, crucem cõmutamus. Væ ſi quibus parata eſt cum cruce corona, ſupplicium noſtrâ nobis negligentiâ accerſimus. Nam cũ aliis dicere liceat, quid meá, quod iſte vel ille in exitium ruat, nobis id non licet, qui ſal & lux adoleſcentiæ regni iſtius nobiliſſimi dati ſumus. Noſtrum eſt fulgere ſapientiâ & doctrinâ, vt cæteri videntes, glorificent Patrem qui in cælis eſt. Abſit vt anima legem Dei ſciens, aliquem contemnat ex hispuſillis, & vel exẽplo ſuo interimat, vel ruere in præceps patiatur. Præſtiterat huiuſmodi hominẽ nunquam natum fuiſſe. Proponamus quæſo diligenter, vt non ſolùm quod debemus faciamus, ſed præterea ad honorem Dei actionum noſtrarum præſtantiã extendamus. Crux à Domino noſtro magno cum amore ſuſcepta illuſtrauit mundum vniuerſum: crux laborum noſtrorum cum gaudio tolerata, nouam ſemper & inculpatam faciet Academiam. Orabit mater Virgo Filiũ, vt grauiſsimum hoc noſtræ vocationis põdus, ſit nobis inſtar faſciculi myrrhæ. Apex Theologorum, patronus Academiarum Paulus, flectet ad Patrẽ Domini noſtri genua, vt det nobis ſecundùm diuitias gloriæ ſuæ, virtute corroborari ab alto, per ſpiritum ſuum, in interiori homine, Chriſtum Dominum habitare in cordibus noſtris, per fidẽ, vt in charitate radicati & fundati poſsimus comprehendere cũ omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, & lõgitudo, ſublimitas, & profunditas, ſcire etiam ſuper eminentem ſcientiæ charitatem Chriſti, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei.

Colligitis figuram crucis mei Academici? vestra est, vobis eam magnus Doctor depinxit. Cur enim tam solicitè sublimitas, latitudo, profunditas exprimitur? An non videtis vt Rectores nostri arcem illius occupant? Quid enim est, quod tanta cum humilitate & facilitate excellentem dignitatem suam ad nostros vsus accommodant? nisi quod sublimitatem crucis suæ, altissimæ contemplationis, charitatis, prouidentiæ notam esse norunt. Nostri igitur Abimelechi, nostri duces veluti Machabæorum Angeli prodibunt, ferentes impositum humeris suis lignum: & nos quod illi faciunt non aduertimus? Nostra est Professores post sublimitatem latitudo, quam apprehendimus, si dilatato corde, hoc est magno & amplo caritatis affectu iuuentutem nobis commissam ad ea, quibus olim Reipublicæ, vel Ecclesiæ prosit amplectenda excitemus. Tu iuuentus optima crucis pedem, erue de profundo terræ, integris adhuc viribus, certa cum humilitatis profunditate, cum innocentia, exere lacertos tuos, vt ex gloriosis laboribus nomen tuum quotidiè fiat illustrius. Subijciamus iam omnes cum Deo nostras manus fælicissimæ arbori, erigamus laborum nostrorum pignus preciosissimum, leuemus pactum & testamentum Domini super nos, exaltemus vsque ad montem, certemus vsque ad excellentiam. Sic florebit vt palma Mater nostra Academia, sic instar Cedri Libani multiplicabitur. Multiplicabitur adhuc insenecta vberi, & nos benè patientes erimus, donec peracto fæliciter curriculo, occuramus nostro Crucifixo, cum illo ipso promissâ crucis gloriâ coronandi, atque illa supereminente scientiæ caritate, in omnem æternitatem & plenitudinem DEI adimplendi.